

Aristophanis lectione et studio Lucianus profecerit; deinde multorum locorum venustatem nondum satis perceptam esse, et sentiri posse, quia adhuc ignoramus, quorsum ea spectent, et ad quae alludent.

Ad primum quod attinet, nonnulla in indice attuli, pauca hic adiiciam, multo plura dabit is, qui maiorem cum Aristophane familiaritatem sibi contraxit. Saepe utitur Lucianus voculis, victum vilem et cibi genera tenuiora designantibus. ἔτνος. (c. 20. 56.) τάριχος (c. 20). iisdem Aristophanes risum captavit. Ran. vs. 62. vbi Bacchus Euripidem aequae ac ἔτνος a se desiderari dicit. cf. vs. 509. 566. — Noster c. 14. κἀκίς ἀπολούμενος. Nihil his apud Aristophanem frequentius, velut Ran. vs. 587. 596. κἀκίς ἀπολούμενη. — Lucianus c. 10. crocotam et leoninam composuit: Aristoph. Ran. vs. 46. Ὁρῶν λεοντῆν ἐπὶ κροκωτῶ κειμένην. — Samosatensis Sophista adhibet voculam γεννάδας. vid. Ind. et Reitz. idem apud Comicum licet obseruare. cf. Ran. 180. 653. 750. 1028. — Lucianus c. 14. ὁ μιαιώτατος. Aristoph. Ran. vs. 469. μιαιώτατε. — Luc. c. 25. ἐντεμόντα τῆ ὑάλῳ τὸν λαιμόν. Aristoph. Ran. 583. τὴν λάρυγγ' ἀν ἐκτέμοιμί σου. vnde forte apud istum etiam ἐκτεμόντα legendum. — Noster clauam Herculis vocat ξύλον, ita in Ranis vs. 724. et in Nubibus vs. 592. ξύλον de baculo seu claua legitur. — Lucianus homines robustos περιίνους